

cinum oculos convertit et sibi ex parte dei, de hoc ut subito vindictam faceret, imperavit. Qui confestim alveum proprium deferens petras, truncos et arbores de Alpibus evulsit et per monasterium ingrediens lapidem ibi super lapidem, sancto recedente, etiam lapillum parvulum non dimisit⁵¹. Quod abbas inspiciens post sanctum cucurrit et ad pedes eius prostratus veniam peciit alibique^l rehedificandi locum licentiam postulavit. Qui^k solum ibi sine sumptuositate licentiam dedit et conversus ad rivulum sibi ex parte dei, ne id agat ulterius, imperavit. Qui ei usque ad nostra tempora, sicut usque ad illa egerat, parere curavit.

Andr. Strum.

§ 44

20. Quidam adolescens monasterium de Mosceto se et sua contulit et sic enim receptus in monacum cenobii antedicti fuit^l. Quod cum sanctus audisset, ad locum accessit et facta examinatione pretextu temporalium ipsum fore receptum in monasterium adinvenit. Strumentum⁵² peciit, totum confregit et receptum ad sua liberum abire mora deposita imperavit.

Et hiis factis oratorio se dedit et ante sanctum Petrum, cuius est monasterium honore constructum, querimoniam ponens vindictam fieri de tali symonia multis lacrimis postulavit et subito valedicens ad solitudinem redire curavit et sic contra iudicium perturbatus prout delinquentis et delicti qualitas (requirebat), flagitavit. Per iactum lapidis nondum sancto viro semoto, quidam ignis ac si celo emissus monasterium invasit et omnia usque ad fundamenta loci hedificia dissipavit⁵³. Que dum sancto socius in via terga vertens dixisset, genua flexit, deo et beato Petro gratias egit et versus locum in detestationem sceleris faciem non convertit.

*Hatto Pist.
Migne PL 146
Sp. 699*

21. Dum quedam mulier eum ad monasterium Sancti Salvi helemosynam petens cum tribus filiis adisset, fratri Andre hospitalario sibi dari precepit. Qui se non habere aliquid omni reverentia patri, eo quod omnia pauperibus erogavit, exposuit. Qui cum ad clibanum ire ipsum precepit^m ad sciendum si eo panis aliquis fortuito remansisset, licet nihil ibi esse prenosceret, obedire ylariter volens illuc accessit et intro conspiciens plenum panibusⁿ candidissimis quantum tenere potuit adinvenit. Qui admiratus sancto dixit. Ne cui-

j) -que über der Zeile. k) am Rand. l) am Rand. m) precipet. n) am Rand.

⁵¹⁾ Vgl. Math. 24, 2: ... non relinqueretur hic lapis super lapidem.

⁵²⁾ Vgl. Regula S. Benedicti (CSEL 75) c. 58, 17 ff.: *Suscipiendus atuem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversatione morum suorum et oboedientiam ... De qua promissione sua faciat petitionem ... Quam petitionem manu sua scribat ... et ... super altarem ponat.*

⁵³⁾ Vgl. Bar. 6, 62: *ignis missus desuper ut consumat ...*